



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XLV. Navis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM

LIBER XLV.

DE IIS QUÆ PER NAVEM, ET ALIQUOT
EJUS PARTES SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD REVERENDISS. D. THOMAM CAMPEGIUM
EPISCOPUM FELTRENSEM.

Nunquam putassem, Colendissime Præsul, accidere posse, ut mihi de Jure tecum differendum esset, quod nunc casus tulit, & necessitas postere visa est. Nam cum mecum cogitarem aliquod tibi Commentarium de significatis Ægyptiorum, pro meo erga te cultu & observantia, dedicari (non enim vir tantus pretereundus eras, qui astatem omnem, & jure publice profutendo sententiæ, Roma dicendis, sacrosancto Consilio presidendo, & in Principum negotiis procurandis, insumptu) argumentum querebam quod ad hujusmodi Personæ nomen accommodari posset, opportuneque piscium merorum hieroglyphica commentaria præ manibus habebam, quæ Præsulibus, quibusdam, quos præcipue colo, honoratissime Antistes, caperem distribuere: atq; cum non tam ipsi pisces, quam etiam instrumenta quædam nautica interferenda essent, Anchora tibi deberi visa est, quæ quod firmata Christiana Reip. præsidio aliquando fuerit, antiqua clarissimaq; nobilitatis Campegia domui pro insignibus argentea hinc & inde gestare concessum est, jam ex illo, quo Uginus ipse Campegius pisana classis Imp. mariæ imperium ab impiis infidelibus inquinatum, pacificum reddidit. Sed priusquam de Anchora dicere incipiamus, ex rime facturum puto, si animadvertendum dixerò locum libro Pandectarum 14. titulo, de Exercitoria actione, capite statim primo, altero mox paragnapho, perperam interpositam esse. Anchora locutionem Accursium hallucinari puto, quia corruptum sit codicem nactus: ibi enim Ulpiani ex libro ad eadidum verba ita notata sunt: Magistrum navis accipere debemus eum, cui totius navis anchora mandata est, scilicet à domino. Nusquam vero legi ego Anchoram pro gubernatione poni, quod quidem manus pertinet ad clavum: usitatissimaque omnium anchorum metaphora, temonem aut clavum aut gubernaculum regiminis loco poni passim observavi. Sedenim in Ulpiani verbis nulla erit ambiguitas, si veluti in Pisano habetur codice antiquissimo illo, qui Florentiæ asservatur, ita legerimus, Cui totius navis cura mandata est. Castigatissimamq; lectionem hanc & in meo per veteri, & in aliquot codicibus manuscriptis, in quos nemo manus injecerit deprehendi. Elegi itaque te judicem, ut quæ aliena essent, legitimos agnoscerent possessoresque, resque omnis nautica legitime tractaretur. Tu quod Juris est videris: nos anchoram jam ablegata, quando hic standum minime necessum fuerit, ad iter institum peragendam, navim iam ipsam ascendamus.

DE NAVI. CAP. I.

Navis, atque ejus partes aliquot, armanetaque ipsa multis locis in veterum monumentis sculpta, & in numis cusa non leve cogitationis argumentum spectantibus exhibere, dum quid hæc sibi velint plerique omnes investigant, quorum bonam explicaturi partem, à numo omnium antiquissimo exordium duximus. Quid igitur sibi Jani numus velit examinemus.

ADVENTUS VEL MIGRATIO. CAP. II.

Rostrum navis alias autem puppis, vel interdum navigium in æs signatum, Jani navigationem in Italiam ostendit: ex altera enim numi parte Janus geminus, ex altera rostrum navis, in-

Navi numus.

Ovid. lib. 1.

At bona posteritas puppim signavit in ære,

Hospitiis adventum testificata Dei,

Quin-

A Quinetiam Onirocritæ observant, quotiescumque quis vel navem vel ratem imaginatus fuerit se videre per quietem, nuncium ex longinquo peregre confesum aucturum. Antiquissima vero est illa numi species, quadrans scilicet, Raticus nomine, in quo ratis. Mosque inde duravit, ut pueri in alexandrum denarios in sublime jactantes exclamarent, aut capita, aut navim: quorum altero post firmatum numum conspicuo, ejus esset victoria, qui divina set, lusu teste vetustatis. Quanquam & altero usi sunt numo, Ovem, Bovemque insculptos habente, quod numi genus documento erat, veteres gregibus & armentis abundasse, quippe quorum omnis res in Ovibus & Bubus collocata erat, ut author est Plutarchus in Problematis.

Artem. lib. 1. cap. 7.
Galli crucem, Sel pilam, pro parte opposita.


FELICITAS. CAP. III.

A Hæc navis in aliquot veterum monumentis felicitatis hieroglyphicum est, ut in Hadriani numo, quæ remigio vecta, pulcherrimeque elaborata visitur, cum inscriptione: FELICITATI AUG. Subnavi vero S. C. COS. III. P. P. In numo etiam Augusti cernere est navium longam cum remigio, cujus eadem inscriptio: FELICITATI AUG.

Auctore Serbio Rege Rom. esse Plin. l. 18. cap. 3. Hinc nomen pecuniarum & Thesaurorum auctorem notationis signavit. esse Plut. in problem. Hadriani numus & Augusti.

SALUS. CAP. IV.

Quæ vero navis apud Athenienses erat SALUTIS indicium, in Thesei memoriam coli consueverat, singulisque annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura, suscepto olim à Theseo voto hujusmodi, si civibus suis una secum salvis reverfus esset. Eoque interim tempore, quo sacerdos Apollinis navis ejus puppim coronaverat, & Delon ea profecta esset, pelagoque iremenso in patriam rediisset, cautum erat, Atheniensium lege, ne quemquam publice interficerent. Eaque de causa, scribit Plato in Phædone, longum temporis intervallum interjectum esse inter judicium Socratis, & mortem ejus: quod sententia pridie quam spectaculi auspiciu fieret, lata erat.



CHRISTIANÆ PIETATIS SUCCESSUS. CAP. V.

Habet & Christiana pietas felicissimi successus sui signum, navem cum piscatore Petro, tam in familiari summi Pontificis anulo, quam in aureis Apostolici fisci numis expressam, manifestissima ejus quæ subsecuta est felicitatis indicia, tot annis antea præmonstrata. Nam quod Ovidius dixit: *Hospitis adventum respicitur Dei*, sumptum omnino est ex altiori disciplina, qua præsci Romani divinitus admoniti essent, hospitem adventurum, qui verum Dei cultum afferret, sive Noam navigio ereptum undis, sive Janum salutaria tot præcepta Italiæ daturum, navi ad nos vectum, ac navi mox insignem in numis, sive ipsum nostræ pietatis autorem fluctuanti navicula affuisse meminimus. Hoc verum ac unicum est adversus sævientis maris rabiem sospitamentum: hic unicus salutis nostræ portus, quem ejusmodi navis auxilio occupare festinaverimus. Sapientissime Joan. Scholasticus vigesimo sexto scalarum suarum gradu pericula recenset, in quæ per mare hoc magnum & spaciosum navigantes incidimus, scopulos, vertigines, inundationes, piratas, belluas, siphones, procelas ventis fluctibusque committas, singulorumque adjicit interpretationes: ut per scopulos, feram præcipitemque iracundiam intelligamus. Per vertiginem, res eas, quæ præter spem oblata mentem circumfistunt, delirioque agitant, & in desperationis profundum rapide devoratos trahunt. Per inundationum tumores, ignorantiam, quæ boni specie decipit. Malus enim & egregie superbus est, sibi omnia arrogat, quicumque est imperitus. Per piratas, gloriarum satellites, qui nostras opes omnibus vitæ incommodis partes, interventu subito diripiunt. Per belluas, nostrum hoc corpus grave, brutum, & efferatum, ac perdifficile cicuratu: utpote quod ventri tantummodo deditum, soiam sibi finem constituit voluptatem. Per siphones, elationis nostræ impetus, per quos ad cælum usque sustol-

Nam sunt qui eundem Noam & Janum vocant.
Periculorum maris enumeratione. Si de epistola Guébriani Hispani.

Cccc limur,

limur, unde mox deturbati, in profundissimam tartari voraginem præcipitamus. Hujus, inquam, pelagi causa navis illa tot olim numis cusa, divinitus adventuram miseris mortalibus salutem indicavit. Ac ne de præfagio dubitemus, in ipsius Jani numis, tam gemino capite barbato, quam etiam imberbi, uti habetur in argenteo, in quo etiam navis cum rectiore, literæ superne C. FOST. neque non in aliis videre passim est inscriptionem, ROMA. Romæ enim pietatis nostræ principatum, & in togata præcipue gente constituendum, ut Evangelicam interim veritatem prætereamus, vel Maro ipsæ præremæ intelligentiæ actus spiritu divinavit, dum Jovem inducit asserentem,

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Eu. lib. 1.

Cui quidem imperium sine fine concessisset: quippe quod eorum institutiones essent in omnem terrarum orbem, ut Theophylacti verbis utar, exituræ, neque ullo unquam tempore defuturæ. Neque vero mirum in Marone homine divini muneris experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, divinationis lumen illuxisse: quia verisimile est eum in hujusmodi vaticinio, ex veterum arcanis aut Marci, aut Sybillæ, aut Hetruscorum, prædictionem illam excerptisse. Vel quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam unquam nationem aspernari compertus est: quare Balaam legitimus hominem & alienigenam, & piorum hostem, præclara tot super Israelitarum successu divinasse.

SOSPITAMENTUM. CAP. VI.

Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navis, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion. Q. Nasidii numisma. Non dissimile pleni velis navigare à Cicerone pro Domo sua.

IN Q. Nasidii numo navis est cum velo, & stella in antenna, & ab altero latere caput cum tridente, & inscriptione, NEPTUNI, subaudiendum, ope vel auxilio servatos. Hoc enim Stella significat in antenna sita, de qua loco suo inter cælestia.

MANIFESTA OPPUGNATIO. CAP. VII.

Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navis, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion. Q. Nasidii numisma. Non dissimile pleni velis navigare à Cicerone pro Domo sua.

Quoniam vero obiter in velum incidimus, minime præterendum videtur, quod dici solet, *Velificatione plena in quempiam ferri*, quod est, aperto Marte, inimicitias minime dissimulatis, rem aggredi, hostemque laceessere.

OCCULTA OPPUGNATIO.

CAP. VIII.

Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navis, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion. Q. Nasidii numisma. Non dissimile pleni velis navigare à Cicerone pro Domo sua.

Hilic contrarium est, *Conto remulcove navigare*, cum tacite quispiam insidiatur, atque, ut vulgo etiam dici solet, *Subaquanea uti opera*. Locum hunc ad hanc propemodum sententiam interpretatur Ammianus, rerum gestarum libro 18. dicens: Non conto neque remulco, ut ajunt, id est, non flexilosis ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in Rempublicam ferebatur, quamvis aliter expositum sit in collectaneis Suidæ, Proverbio *κόιντα πλεον* quod quisquis ille fuerit, exponit, *ἦγαν περισηκόντας ζῆν.*



Conto navigare.

LUNÆ VECTATIO. CAP. IX.

Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navis, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion. Q. Nasidii numisma. Non dissimile pleni velis navigare à Cicerone pro Domo sua.

Quod navigium in Ifidis honorem Ægyptii coluerint, sunt qui raptam eam ab Jove navi, cujus insigne Vacca esset, arbitrentur: sed commentitium hoc mihi videtur. Magis autem ad Ægyptiorum eruditionem quadrat, quod Plutarchus ait, Lunam apud eos navigio vehi fictam. Hanc Ifidis navem Apulejus multis donariis ornat. Diodorus fabricatam à Sefoltri navim ex cedro octuaginta cubitorum ait longitudine, deauratam exterius, interius vero deargentatam, quam dono obtulit Deo, qui Thebis ab Ægyptiis colebatur. Is Ifis erat.

NAVIGATIONIS AUTHORES. CAP. X.

IN Tyriorum numo navis est cusa, nimirum ea de causa, quod ipsis Tyriis commentum placet, navigationis primæ se authores haberi. In hujusmodi eorum numo legitur ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΑΝ. Est & alius cum eadem navis longa numus, in cujus altera facie caput est cum

A cum corona irradiata, inscriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. Ita demum Phoenices inventæ navigationis laudem asciscunt sibi.

VICTORIA NAVALIS. CAP. XI.

In Agrippæ numis navis illa tridentali rostro insignis, qualem scilicet Maro sæpe describit, dum non uno loco ait, *rostrisq; tridentibus*, partam ab eo victoriam indicat maritimo prælio, quod adversus Sex. Pompejum commisit, id quod Maro in Augusti gratiam ita immortalitati commenda-

Agrippæ
numis.
Liv. l. 6.

Parte alia ventis, & Diis Agrippæ secundis
Ardus agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Aliquot in monumentis videas & Varronis insignia navalia, qui Propratore sub Pompejo Piratico bello militavit, à quo, ob res bene gestas navali corona donatus est.

DE ANCHORA. CAP. XII.

Hieroglyphicum anchoræ non Ægyptiorum tantum est, sed à Græcis & Romanis Principibus usurpatum, ut minime importunum sit rem à plerisque tractatam repetere: ut quæ sciamur significata, loco suo manifestentur.

MATURANDUM. CAP. XIII.

Circumvolutus anchora Delphinus, quod signum in aliquot Titi Vespasiani numis observavimus, maturandum, ut Latini una locutione dixerunt, omnino significat. Sed quoniam rei causam in Delphino fati explicuimus, & res jam ævo nostro lippis & tonforibus innotuit, plura super eo dicere supersedebimus. Id pro pictura animadvertendum est, anchoram, quæ in numo Titi habetur extrema dentium in vomeris speciem dilatate, cujusmodi figuram Aldus noster imitatus est in omnibus, quos impressit libris. Alia vero forma esse, dentibus quippe in actum recto ductu mucronatis, quam in numo veteri apud eruditissimum virum Romulum Amasæum vidimus.



U. & O. A.
Augusti ex
A. Gellio li-
bro 10. c. 11.
Nec. Att.

TUTELA, REFUGIUMQUE. CAP. XIV.

Hominem, qui rebus suis tutelam præsidiumve paraverit opportunum, per navem & anchoram significabant. Quod si sola anchora manu prætenta figuraretur, refugium indicabat, quasi vellet innuere pictura hæc si adversa ingruerit tempestas, resque nostræ fluctuare cœperint, paratum esse profugium, ut possimus ita servari. Estque dicitur apud Græcos in hanc sententiam celebre, quo Demosthenes utitur oratione pro Ctesiphonte. Et Propertius eruditionis elegiacæ columen ad hoc innuens ait: *Anchora jacta mihi*. Idem sermo apud Paulum rei nullius ignarum, epistola ad Hebræos, capit.



Nimirum
Οὐδ' ἀνὴρ
ὀρεῖται τοῖς
πυρρῶν αἰῶν
αὐτὴν Σιδῶνα
subaudit
anchoram,
ut sitensus.
Non eadem
anchoræ u-
situr, quæ
Sulgi.

6. *Qui confugimus, ut spem propositam teneremus, quam veluti anchoram habemus animæ cum tutam, tum firmam.* Et Chrysostomus, de supremo firmoque profugio, concione in Lazarum IIII. hæc ait: *Sunt divina sapientia opera, hæc maxima illius prudentia sunt argumenta. Conscientia increpatio sacra est anchora, quæ nos nequaquam sinit in peccatorum profundum absorberi.*

STABILIMENTUM. CAP. XV.

Quod si firmitatem, ac immobile stabilimentum rei cujuspiam significare vellent, anchoras duas appingebant: similitudine sumpta à navibus, quæ tunc

Ἐπὶ δεῦν
ὀρεῖται,
subaudit an-
choris:

Ventorum temunt rabiem fluctusque sonantes,

cum duabus anchoris innituntur. Qua similitudine utitur Aristides Panathenaicis. Sedenim Pinda-

Cccc 2-

rus

Duabus anchoris nixus. Ivisibiles in anath.

rus duabus innixum anchoris dicit, qui duas habet patrias: unde proverbium, οὐκοῦν οὐκ ἀδύνατον, Domus autem domum, de commode peregrinantibus: quippe de iis, qui atrepto itinere quotidie apud amicos aut necessarios divertunt. Nam pro firmitate Pindarus idem una etiam utitur anchora. Isthmii, ἡδὴ περὶ τὴν ἀλυσὶν βάλαντα ἀγκυροῦν, Jam anchoram ad felicitatem jecit: hoc est, firmitatem jam ad vitæ tranquillitatem assecutus est. Vita porro nostræ tumultus, perturbationes, cladesque omnes, marinis fluctibus, tempestatibus, vorticosisque æstibus solemus æquiparare, quemadmodum Archilochus facit, qui cum in Thracenles calamitates incidisset, bellum marinis fluctibus ita comparavit:

Γλαυχ' ὄρε, βαθὺς γὰρ ἦδη
κύμασι τερφόμεται πόντος,
Ἀμφὶ δὲ ἀκρογυρεῖον ὄπηξ
Ἰαίεται νόστος σώμα χιμῶντος,
Κιχάνει δὲ ἐξ ἀελπίης φέβητος.

Myrsilus quoque Mitylenæorum infortunia tyrannicasque procellas ita describit:

Τὸ δ' εὖ σε κύμα τῷ περὶ πῆρ' νόμῳ σίχεται,
Παρέξει δὲ ἄμμι πόντος πολὺ ἀντίλω.

Græci ἄγκυρον φασί. Sacram anchoram quod ajunt.

Atque iis urgentibus infortuniis ad sacram, ut ajunt, anchoram confugiendum. Sapientes enim fere omnes hieroglyphico utuntur anchoræ, tam scribendo quam loquendo: ut Pythagoras, quem Phocion ait super humana vita ita differere solitum, ὅτι χρηρὸν βίον αἰεὶ εὐδαιμονίᾳ ἀείρειν, quæ si primum amaritudine aliqua prædita videatur, suavem ipsam redditura sit consuetudo. Divitiæ si optentur, sciendum eas infirmam admodum esse anchoram. Gloriam, etiamnum infirmiolem. Quæ corporis sunt, ejusdem esse tenoris. Principatus, honores, omnia hæc imbecilla, & nullo robore suffulta. Quæ firmæ igitur anchoræ? prudentia, magnanimitas, fortitudo, quas nulla procella discutiat. Nam divina lex est, virtutem solam atque unicam habere robur, reliqua omnia nugæ esse.

INTERPRES. CAP. XVI.

Anchora Indis pro caduceo.

Apud nationes aliquot anchora fuit interpretationis signum, quo scilicet caduceatores, & inter-nuncii pro gestamine uterentur. Præcipue vero Indi anchoram pro caduceo habuere: propterea inquit Philostratus, quod omnia tentet ac perverstiget. Eaque de causa cum Apollonius ad locum, quem Indi sapientes incolabant, appulisset, seque cum comitibus intra stadium cohibuisset, adolescens eum adiit à sapientibus missus qui auream anchoram pro caduceo manu gestabat, perç eum in colloquium adductus est.

FRÆNUM. CAP. XVII.

Ad hæc anchora moderandi compescendique signum est, frænumque indicat, quod quidem ex Pindaro desumitur. Ille enim πυθῶν Oge quæ inscribitur, ἄγκυρα δὲ κρυφαῖα ἀρῶν, frænum Argus navis dixit, ubi interpretes ait, Anchoram ὑπὸ μετὰ φρεσὶ τῶν ἱππέων ἄγκυρα τὴν ἐπὶ χεῖρ' αἰσῶν δίκην χαλινῶν, sumpta ab Equis translatione, quod ea naves compescat fræni instar.

SELEUCI GENUS CAP. XVIII.

Seleuci numi.

Extant Seleuci numi anchora signati, propterea quod is anchora signatum femur habuit ab ipsa origine, filiique & nepotes ejus eodem insigniti modo anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuere. Et ut Græci sunt ad signamenta promptissimi, fabulam etiam adjiciunt. Laodiceum Antiochi nuptam, Apollinis congressum per quietem pati visam, qui anulum ei quendam veluti concubitus præmium donavit, iusseritque ut mox filio eundem redonaret, futurum eum aliquando felicissimi eventus auspiciam: repertumque prima luce anulum in lecto, cujus signum anchora erat, admirationi fuisse: Seleucumque mox natu grandem, tradito anulo à matre, de origine sua, deque futura felicitate edoctum, cum mortuo jam Alexandro, quem in Persicam militiam secutus fuerat, regnum ipse Orientis occupasset, gemmæ istiusmodi memoriam consecrasset. Nam & cum urbem Antiochiam patris nomine condidisset, campos vicinos urbi Apolloni, uti originis auctori dicavit. Hæc Trogus. Appianus indignum ratus fabulas historis admiscere, rem aliter tradit in Syro: Apollinem quippe Laodicæ per somnium mandasse, ut quem anulum aliquando reperisset, filio statim gestandum

A standum daret: fore namque ut quibus in orbis locis Seleucus anulum eum amisisset, eam ipse postmodum regionem Imperio suo subiceret. Is igitur cum Alexandrum sequeretur, anulum juxta Euphratem fluvium amisit, factusque ejus Provincia Præfectus in divisione regni post Alexandri mortem, moxque inde deturbatus ab Antigono, Ptolomæi, cui Ægyptus obvenerat, auxilio in regnum restituitur.

POSSESSIO. CAP. XIX.

Est & obtinendæ possessionis signum anchora, cujusmodi ejusdem Seleuci fuit interpretatio, reperto, quem jam amiserat, anulo, in quem anchora incisa fuerat. Cujus quidem rei hujusmodi *Seleuci historia.* fertur hystoria, quæ ad futurum augurium ab Apolline promissum facit. Seleucus cum ejectus Babylone, Ptolomæi mox copiis adjutus, posset quidem uti vi, ex amisso tamen anulo in spem regni omnino erectus, omnia prius quam armis experiri constituit, ne populum, quem per benignitatem sibi allexerat, belli metu exacerbaret. Internunciis ad rem usus, civium comperit studia erga se propensissima: itaque festinatione opus esse admonitus, paucis admodum, sed iis impigris & fidelissimis electis, Babylona versus quanta potest celeritate proficiscitur. Accidit vero, ut inter gradiendum pede lapidem offenderet, evelleretque, ex cujus impulsu tanto dolore affectus sit, ut ibidem evestigio subsistere, ac humi residere cogeretur. Ecce vero ibi amicis pedem demulcentibus, & evulsam lapidem inspectantibus, anulus ille affulsit, qui sublatus attréctatusque, magnæ inter socios mœstitiæ argumentum fuit. Id quid rei esset cum Seleucus sciscitaretur, signatam illi anchoram anulo reperto mœstitiæ causam dedisse responderunt, ex qua captivitatem portendi interpretabantur. Tum Seleucus: *Bono, inquit, animo estote omnes: nam quam terram calcamus, & reverturi sumus, & firmiter possessuri: & cum dicto doloris immemor profilit, iterque arripit alacriter. Cui paululum progressio adiuere obviam qui tuta & pacata omnia nunciarent, exceptusque ita omnium studiis, dignitatem pristinam & regnum illud obtinuit. Mox Indiam & Asiam omnem subjugavit. Anuli vero memor, urbem in Oriente condidit, & gemmam originis memoriam consecravit.*

DE TEMONE. CAP. XX.

Innavi autem primas omnino partes tenet temo, de quo multa sunt apud veteres significata, quæ tamen omnia in unum coeunt intellectum.

REGIMEN. CAP. XXI.

Nam regimen per figuram ejus significari manifestum: & cujus arbitrio res aguntur, is gubernare, & gubernaculum temo ipse dicitur. Hinc Juvenalis, *Aut de temone Britanno decidet Arviragus*, dixit, cum Domitianum Britannia potiturum præfagit adulator ille Veiento, expulso inde Arvirago, qui totius insulæ imperium obtinebat. Nam ad ea tempora Britannia nondum venerat in ditionem Romanorum, tentata bello sæpius, licet cum eorum aliquot Imperatoribus fœdera junxisset, quæ nostri plus æquo forsitan extulerunt. Contra vero Nero, paucos ante dies quam moreretur, vidit per quietem sibi navem regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia in arctissimas tenebras: quod aruspices respondere, eum administratione dejectum mortem infelicitissimam moriturum.

FORTUNA. CAP. XXII.

Quapropter veteres cum Fortunæ plurimum tribuerent, eamque negotiorum pene omnium quæcumque mortales gererent, arbitrum opinarentur, simulacrum ejus dextera clavum, sinistra cornu copiarum tenere finxerunt, quod bona & commoda ab eadem omnia proficisci crediderunt: unde divitiarum & opulentiam, fortunam appellare, uni illi regendi elargiendique facultatem concessam arbitrati.

INCONSTANTIA. CAP. XXIII.

Ut vero inconstantiam ejus notarent, utpote quæ, ut Horatius ait, possit imo tollere de gradu mortale genus, vel superbos vertere funeribus Triumphos, & valet ima summis mutare, sedentem eam in pila sculpebant: quod tum in marmoreis monumentis, tum in numismatis antiquis observari

Nerva Tra- servavimus. Talis ejus species est in numo Nervæ Trajani, cum inscriptione, FORT. RED. S.C. ubi
a i numis. etiam legas, SENATUS POPULUSQUE ROMANUS, literis omnibus expressis, quod raro inven-
tur.

FORTUNA REDUX. CAP. XXIV.

Hadriani
Septimii
Getæ, Do-
mitiani, &
Antonini
Pii numi.

Ejusdem Fortunæ Reducis simulacrum est in altero ejusdem Imperatoris numo, ubi Dea ipsa
fede fedens temonem manu regit, qui à pedibus furrigitur: inscriptio est, FORTUNÆ REDUCI.
Atque hac eadem specie & inscriptione, literisq; habetur in Hadriani numo, ubi thema insidet pila,
in nonnullis abest pila. Eadem vero fedens cum temone & cornu copiæ est in numo Septimii Getæ,
cum inscriptione, FORT. RED. Sed illud observatione dignum, quod eadem species cum temone,
& cornu copiæ in Domitiani numo, quem apud Bembum vidimus, FORTUNA AUGUSTI scri-
ptum est, prima syllaba per u vocalem ultimam, quæ passim in ea locutione per o vocalem quartam
enunciari solet. Eadem pene inscriptio speciesque cornu copiæ & temonis pilæ insidentis in manu
Fortunæ stantis habetur in numo Antonini Pii. De pila vero atque rotula alibi erit locus suus, ubi
Fortunæ ipsius ornamenta copiosius explicabimus.

DE RETIBUS. CAP. XXV.

PETrum in navi superius inspeximus, sed habebat idem retia, quæ tractaret. Hujus rei memoria nos
quoque traxit ad fagenam, ad hamos & tridentes: quare priusquam exiliamus è navi, an possi-
mus aliquid expiscari, videamus.

SILENTIUM. CAP. XXVI.

Magis mu-
tus ipsi pi-
scibus, in
Odyss. 5.
Carm. lib. 4.
Od. 3.

PER retia silentium significari tradunt, ea quidem ratione, quod præcipuum est præceptum pesca-
toribus, ut dum gregem circumdant, silentio quam maximo navigent. Pisces præterea altissimo
silentio præditos esse compertissimum est, paucissimis exceptis, ac præcipue Canè marino, unde et-
iam Proverbium emanavit, ἀφωβήτε τὸ πρὸν ἰχθύων. Sic eruditus Horatius eos *Mutos* vocat: Sic Lu-
cretius, *Mutas natantes* appellavit, Lib. 2.

PERSUASIO. CAP. XXVII.

IN Divinis autem literis retia sunt persuasionis hieroglyphicum, quia scilicet homines in veritatis
cognitionem inducuntur, atque ita capi videntur. Ad hoc facere Evangelicum illud ait Euche-
rius *Mittite retiani captivum*.

INSIDIÆ. CAP. XXVIII.

Ludus Pitt-
taci.

ANtiquissimum esse reperio, insidias per rete significari, neque ea tantum de causa, quod ejus
opus omne ad insidias comparatur, quantum etiam ex historia desumptum est. Nam Pittacum
memorant, unum ex septem Sapientibus, adversus Phrynonem Atheniensium duce[m] validissimi
corporis hominem, Pancratiasten scilicet & Olympionicam, de finium controversia, quæ inter Acti-
cos & Mytilenos erat singulari certamine dimicaturum, rete secum in occulto sub clypeo abditum
tulisse, quo cum tempus visum est, jactò Phrynonem impedit. Historia est apud Verrium, in iis,
quæ Festus defloravit: neque ea tamen in vulgatis codicibus, sed antiquo manuscripto, cujus par-
tem ultimam Romæ comperi. Hinc sane ludus à Pittaco institutus, quo Retiarius Mirmillonem in
certamen provocabat, cui adcantabatur, *Piscem peto, non te peto, quid me fugis Galle?* Erat autem eo-
dem auctore Festo, Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum, ipsiq; Mirmilliones antea Galli ap-
pellabantur, in quorum galeis piscis erat effigies.

DESOLATIO. CAP. XXIX.

EST & defolationis signum retis genus, quod verriculum appellatur, ad multa siquidem in spatia
in mare demissum, restibusque longissimis hinc atque inde attractum, quantumcunque spatii
complexum fuerit, totum abverrit, neque ulli piscium exitum patere permittit. Transitque misera-
bile genus hoc venationis in urbium & agrorum defolationes. Accidit enim plerumque, ut edicto
univer-

A universali oppressorum exitu agri sint everriculati. Fiebat autem everriculatio in hunc modum. Viri manus sibi mutuo tenentes, quasi restim unam texunt, occupatisque terræ, quam desolatam vident, extremis finibus, ita late extensi progrediuntur, latentesque passim incolas venando excipiunt, nihilque reliqui faciunt, quoque versus peragrantes. Quod olim exemplum à Darianis militibus editum in Chio, Lesbo, Tenedoque infulis vi captis, atque everriculatis. Eretrienles quoque legas à militibus Xerxis eadem everriculatione omnes abductos.

Everriculatio.

DE HAMO. CAP. XXX.

Habet Hamus cum Anchora similitudinem quamdam, si figuram inspectes. Sed quantum est in Anchora officii, tantum in hamo malignitatis atque perfidiæ: quæ cujusmodi sit, hinc apparebit.

Hinc infamia pro decipere. Terentius in Adelphis.

DECEPTIO. CAP. XXXI.

B Sunt qui non imperite, neque improprie, deceptionem per hamum pictum significari tradant: siquidem decipere, est unum ostentare, & aliud præter opinionem inferre. Ita hamus escam essurienti offerre porrigereque videtur, saturitatemque polliceri, mox apprehendit, alligatque, & captivum facit eum, qui escam illam appetierit. Hoc habemus apud Horatium de cœnipeta:

Epistolarum Lib. 1. ep. 7.

— Hic ubi sepe

Occlusum visus decurrere piscis ad hamum.

Et hunc secutus Lucianus eo opusculo, quod in Romanam invidiam de Aulicorum vita conscripsit, in hac plurimum similitudine immoratur, dum spes illas clientium, qui admissi ad Principum amicitias montes statim aureos sibi pollicentur, hami istiusmodi vorationi similes esse contendit. Et de Ienone in fraudem prolabente, *Meus est, hamum vomit*, apud Plautum. Longe vero aliter in Divinis literis hamum accipi videas, per quem sanctissimum Christi corpus significatur, de quo apud Ezechielem Theologi dictum ajunt: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebis, & à volucris omnibus impeteris, perindeque omnes terræ bestias tuo pastu saturabo.* Sicuti enim si hamum esca coopertum piscis rapiat, non solum escam ab hamo non sustollit, sed ipse de profundo esca aliis futurus educitur: ita mundi Princeps, penes quem erat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Adamiaci JESU, cum sub eo hamum divinitatis inclusum minime sentiret, quo devorato hæsit ipse continuo, de quo profundo tractus, eductus est, ut esca fieret iis, quibus calcandi super Serpentes & Scorpiones potestas à Deo data fuerat. Idem apud Jobum 40. capite reperias: *Aut adduces Draconem in hamo, aut capistrum circa naves ejus appones.*

In Bacch.

Christi corpus per hamum. Ezech. 32.

DE TRIDENTE. CAP. XXXII.

ET Tridentis inter piscationis arma connumeratur, sed cum hamo parum congruit.

APERTA VIS. CAP. XXXIII.

D Hamus enim per fallaciam quicquid acquirit aucupatur, sed tridens aperto Marte, medio veluti campo advenientem hostem accipiens, eum aggreditur, solaque fretus agilitate, conficit. Sed quid is in Neptuni manu, quid in Træzeniorum numis, & in Mantineensium scutis sibi vellet, alio Commentario docuimus. Hæc vero plus quam satis esse, quæ ad occupatissimum virum, & otium necium mitterentur, existimavi, Vale.

JOAN.